



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In
Repyblica Conservanda, Liber vnus**

Lens, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1579

VD16 L 1181

luxta veterum receptam de Republica definitionem, non constare
Rempublicam sine co[n]sensu populi in vna[m] eandemq[ue] veram
religionem. Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30005

RELIGIONE.

15

*Iuxta Veterum receptam de Repub. definitionem, nō
constare Remp. sine consensu populi in unā eandemq;
veram religionem.*

CAPVT II.

EST præterea etiam atque etiam confide-
randum, cuiusmodi Respublica futura
fit, in qua non iustitiæ ratio curaque publici-
tus habeatur. Nam si Scipionis apud Cicero-
nem in ijs libris quos de republica scripsit,
definitiones recipimus: vt fit Respublica, res
populi: populus autem cœtus fit multitudi-
nis, iuris consensu & vtilitatis cōmuniōne
sociatus, efficitur profectō rempublicam
non esse, quæ non communi quodam in iusti-
tia consensu & conspiratione teneatur. Idem
enim ille Scipio, iuris consensum postea dis-
putando explicauit: ostendens per hoc geri si-
ne iustitia non posse Rempublicam. Vbi er-
go vera iustitia non est, nec ius potest esse:
quod enim iure fit, id fit iustè: quod autem fit
iniustè, nec iure fieri potest. Non enim iura
dicenda sunt vel putanda, iniqua constituta
hominum, cum illud etiam ipsi ius esse di-
cant, quod de iustitiæ fonte manauerit, fal-
sūque esse quod à quibusdam non rectè sen-
tientibus dici solet: Id esse ius, quod ei qui
plus potest vtile est. Quocirca vbi non est ve-
ra iustitia, iuris consensu sociatus cœtus ho-
minum non potest esse: & ideo nec populus,
iuxta illam Scipionis vel Ciceronis definitio-
nē: Et si non populus, nec res populi, sed qua-
lis cunq; multitudinis, q̄ populi nomine dig-
na nō est. Proinde si respublica, respopuli est,
& po-

& populus non est, qui non sit iuris consensu sociatus: non est autem ius, vbi iustitia non est: proculdubio conficitur eam non esse rempublicam, in qua non sit consensus quidam in iustitiam conspiratioq; communis. Iustitia porrò ea virtus est quæ sua cuique distribuit, cuiusmodi virtus sine vera religione constare non potest. Quoniam enim modo sine vera religione, quæ vnica est, Deo imprimis reddi poterit quod ei debeatur? Nam ne quisquã fortè putaret, homini quidem ab homine multa sæpe, sed Deo nihil vnquam deberi, cauit hoc Christus in Euangelio, cùm ait: Reddite quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ Dei Deo. Atque vt honorem & timorem non ignorares inter debita numerari, dicit Apostolus gentium planissimè: Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honoré, honorem. Deo igitur ab hominibus debentur timor & honor: imò verò seipsum iure quisque debet Deo conditori ac redemptori suo. Quæ persolui debita, sine vera religione, nullo modo possunt. Hæc enim sola gratum ei defert honoris officium, sola hæc Deo religat hominem atque exhibet, cum falsa subtrahat, subdatq; eundem spiritibus erroris. Vnde apparet eorum perfatus error, qui in sequenda religione, solius exemplum principis intuentur, tantùmque ad hominem respiciunt: parati videlicet in quacunque religione versari, in qua suum principem repererint, quasi principi religio, & non Deo ipsi debeatur. Id quod generose prorsus
ab

Matt. 22.

Rom. 13.

ab Imperatoribus Valentiniano & Gratiano *Li. 7. tri. hist. ca. 9.*
 legimus esse reprehensum his verbis : Hanc *hist. ca. 9.*
 (inquiunt) trinitatem consubstantialem pa-
 tris & filij & spiritus sancti, prædicare decre-
 uit nostra quoque potentia : ita tamen vt nõ
 dicant aliqui : Sequimur religionem Impera-
 toris hanc patriam gubernantis, & non illi
 potius obediens qui nobis salutis mandata
 contradidit. Euangelium namque Christi no-
 stri sic habet: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsa- *Matt. 22.*
 ri, & quæ sunt Dei Deo. Constat igitur religio- *Luca 20.*
 nem Deo iure deberi, atque hanc primam præ *Marci 12.*
 cipuamq; iustitiæ partem esse, vt ei illa defe-
 ratur. Quod si non cadat sub communem &
 publicum populi consensum, non est ille cœ-
 tus multitudinis, iuris consensu sociatus. Nõ
 est igitur Respublica, in qua non sit commu-
 nis quædam multitudinis cõsensio in vnã
 eandemq; veram religionem. Et ad similem fe- *Libr. 9. cap. 21.*
 remodum ratiocinatur D. Augustinus in li-
 bris de ciuitate Dei, colligens gentilium cœ-
 tus sine veri Dei cultu sociatos, iuxta Scipio-
 nis & Ciceronis definitionem, non esse Res-
 publicas.

*Sicut iustitia ratio, sine qua Respublica non est. po-
 stulat, vt Deo suus honos Vera religione deferatur: ita
 postulat etiam, vt eius dehonestationes atque
 iniuria qua fictis & falsis religionibus irrogantur,
 legibus pœnalibus propulsentur.*

CAPVT III.

QVemadmodum autem exposcit ratio
 iustitiæ, vt suum cuique reddatur, ita
 pœnam exigit in transgressorem. Quocirca
 B si per